

PONTANO

PARTHENOPEUS (1711 vers)

LIBER I

LIBRUM ALLOQUITUR

P1_01 v.1 I munus lepido meo sodali
 2 non dura nimium, libelle, fronte,
 3 sed qualem tenerae volunt puellae
 4 inter blanditias jocosque molles
 5 caris conjugibus suis inesse.
 6 Legem versiculis dedere nostris
 7 aetas et male sobrius magister,
 8 ut tantum teneras ament puellas,
 9 ut sint virginibus nihil molesti,
 10 ut molles, lepidi, leves, jocosi ;
 11 quos uxor canat in sinu mariti,
 12 quos conjux legat in sinu puellae,
 13 quos discant pueri, senes et ipsi,
 14 siqui sunt pueris ineptiores,
 15 et castos fugiunt timentque versus.
 16 Nunc ad te redeo, libelle. Felix,
 17 i felix, pete nobilem sodalem
 18 inter nequitias amoris omnes
 19 ludentem in gremio suae Cicellae,
 20 cujus lacteolo sinu tument
 21 surgunt aureolae due papillae,
 22 quas fecit manibus suis Cupido
 23 maternas imitatus ipse mammas.
 24 O quid conjuge dulcius venusta,
 25 aut quid carius optimo marito,
 26 quales sunt Miniatus et Cicella ?
 27 Sed ne te nimium morer, libelle,
 28 festina Miniatum adire nostrum,
 29 qui te tam facili videbit ore,
 30 ut post millia basiationum
 31 dignum te faciat sinu Cicellae.
 32 Hanc tu malueris, libelle, sedem,
 33 quam si scrinia regis ampla dentur.

AD FANNIAM

P1_02 v.1 Candidior nivea Veneris, mea Fannia, planta es,
 2 et Charitum tenero lactea crure magis,
 3 Aurorae praelata coma, praelata nitore ;
 4 Hebe munditiis cesserit ipsa tuis,
 5 cesserit aspectu Lede, Hermioneque papillis,

6 Flora genis, cedat Tyndaris ore tibi ;
 7 nigraque formoso furata es lumina Amori,
 8 et per te caecus dicitur ille puer.
 9 Naiadum illecebris cum sis lascivior, et sit
 10 usque comes dictis gratia blanda tuis,
 11 ambrosia hinc teneris stillat tibi roscida labris,
 12 ambrosia hinc roseo spirat ab ore tibi.
 13 Hujus in amplexus, superi, properate. Sed ipse
 14 praeveniam, nec tu, bella puella, neges.
 15 Magna peti fateor ; verum mihi magna petenti
 16 contingat niveo pectore posse frui.
 17 O mihi si liceat partes tractare latentis :
 18 cedite, di ; hac vincam conditione deos.
 19 O bona non tractanda homini, bona digna rapina
 20 caelicolum, superis o bona digna locis.
 21 Deficio : gelidis suffundite tempora lymphis.
 22 O desiderii lenta cupido mei.

CARMEN NOCTURNUM AD FORES PUELLAE

P1_03 v.1 Sic mihi crudeles isti placentur ocelli,
 2 qui me luminibus surripuere suis,
 3 ut nulla e cunctis aequae formosa puella est,
 4 nec quae sit misero tantum adamata mihi.
 5 Nil formae natura tuae, nil cura negavit,
 6 una superciliis si tibi dempta nota.
 7 Nam, quamvis molli semper sis dedita amori,
 8 nulla proterva magis, nulla benigna minus ;
 9 cum tibi sint placidi mores, sint mitia corda,
 10 nulla benigna minus, difficilisque magis.
 11 Nam quid dura tuum sic me contemnis amantem,
 12 neglectumque tuas despicias ante fores ?
 13 Ipsa fugat primas nox intempesta tenebras,
 14 nulla tamen nostro mota dolore venis ;
 15 frigida saevit hiems, immitis et ingruit aer,
 16 exclusum pateris me tamen esse foris.
 17 Fannia, solve fores, mea Fannia, Fannia, quaeso,
 18 solve fores, quaeso, Fannia, solve fores,
 19 et me, quem gelidus Boreas contraxit et imber,
 20 in tepido foveas, dulcis amica, sinu.
 21 Quod rogo, nec magnum est ; et amor sibi mutua poscit,
 22 mutuaque amplexus gaudia poscit hiems.
 23 At tu, quae dominae servas dilecta cubile,
 24 me miserum, dormis scita Lepilli diu.
 25 Si dormis, tibi sit facilis somnusque quiesque,
 26 sin vigilas, posti, te rogo, deme seram :
 27 scis etenim, quid noster amor, quid spes mea de te,
 28 quid mihi promittat, quae tibi tanta fides.
 29 Me miserum, dormis nimium jucunda Lepilli ;
 30 surge, age, de molli surge Lepilli toro,
 31 nam se quamprimum terris lux candida praefert,
 32 seque dies roseo suscitatur oceano.
 33 Sed tibi quid feci, crudelis somne ? Quid, inquam,
 34 dure, meas frangis, somnule, delicias ?
 35 Te decuit, nostris olim devicte querelis,
 36 lumina jam dominae deseruisse meae.

37 Anne deum mentes, an livor numina vexat,
 38 quos juvat et nostra commoditate frui ?
 39 Nam te, si invidia, crudelis somne, vacares,
 40 par fuerit mores noctis habere bonos :
 41 nox facilem cupido semper se praebet amanti,
 42 nox juvenum curis obsequiosa favet,
 43 illa meos quotiens custodem fallere jussos
 44 clam tulit ad lectum, quo jacet illa, pedes,
 45 et quotiens, vigili quamvis cum matre jaceret,
 46 illa meo femori junxit amica femur.
 47 At tibi, somne, tuis semper sopor absit ocellis
 48 imprecor, et semper lumina aperta geras,
 49 quaeque papavereis tecum fers pocula succis
 50 rupta cadant, et sis pervigil ipse diu.
 51 Salve difficili subnixus, pessule, posti,
 52 limina quaeque tua claudis, iniqua sera,
 53 vos mihi nunc faciles aditus praestate roganti,
 54 ad dominamque meam pandite qua sit iter :
 55 vos ego Panchaeo supplex venerabor odore,
 56 floribus e vernis pictaque sarta dabo,
 57 vobis myrteolo spargam de flore liquorem,
 58 vobis de roseo lympham madore fluat.
 59 O male, quod fletu nequicquam absumor inani,
 60 despectasque meas, pessule lente, preces.
 61 Sic tibi nec longae caries nec ruga senectae
 62 officiat, nec te sentiat ignis edax,
 63 sic tibi nec raucae stridet quae lamina serrae,
 64 nec queat ulla tibi saeva nocere manus,
 65 furtivus clauso sensim te subtrahe posti,
 66 ut pateat moto cardine laxa foris.
 67 Sed mihi quid lacrimae prosunt ? Quid vota precesve ?
 68 Roboribus duris nulla subest pietas.
 69 Crudeles postes, crudelis janua, tuque
 70 tam male grate meis, pessule, deliciis,
 71 vos situs obducat, vobis non aequa securis
 72 saeviat, et cuneis instet acerba manus,
 73 in vos irati procurant undique amantes,
 74 ingerat hic lapides, inferat ille faces.
 75 Ergo, ubi tam durae consumpsi tempora noctis,
 76 mortua quid prodest membra referre domum ?
 77 Hic moriar, sit et haec mihi funeris auctor acerbi
 78 janua, sint tumulus limina et ipsa meus.

AD FANNIAM

P1_04 v.1 Puella molli delicatior rosa,
 2 quam vernus aer parturit
 3 dulcique rore Memnonis nigri parens
 4 rigat suavi in hortulo,
 5 quae mane primo roscidis cinctos foliis
 6 ornat nitentes ramulos ;
 7 ubi rubentem gemmeos scandens equos
 8 Phoebus peragrat aethera,
 9 tunc languidi floris breve et moriens decus
 10 comas reflectit lassulas ;
 11 mox prona nudo decidit cacumine

12 honorque tam brevis perit.
 13 Sic forma primis floret annis ; indecens
 14 ubi senectus advenit,
 15 heu languet oris aurei nitens color,
 16 quod ruga turpis exarat,
 17 perit comarum fulgor, et frontis decus,
 18 dentesque flavent candidi,
 19 pectus papillis invenustum languidis
 20 sinus recondet sordidus,
 21 quod nunc Eois lucidum gemmis nitet,
 22 tenuisque vestit fascia.
 23 Nullas amantis audies maesti preces
 24 duram querentis januam,
 25 nonserta lentis fixa cernes postibus
 26 exclusi amantis munera ;
 27 sed sola noctes frigido cubans toro
 28 nulli petita conteres.
 29 Quin hoc juventae floridum atque dulce ver
 30 brevemque florem carpimus ;
 31 post lustra quinque jam senectus incipit
 32 latensque surrepit modo.
 33 Quare, meorum o aura suavis ignium,
 34 dies agamus candidos,
 35 noctesque divae conteramus integras,
 36 que mane lucet Hesperos.

AD PUEROS DE COLUMBA

P1_05 v.1 Cui vestrum niveam meam columbam
 2 donabo, o pueri ? Tibine, Iuli,
 3 num, Caeli, tibi, num tibi, Nearchae,
 4 non vobis dabimus, mali cinaedi ;
 5 non vos munere tam elegante digni.
 6 Quin ite, illepidi atque inelegantes ;
 7 ales nam Veneris nitore gaudet,
 8 odit sorditiem inficetiasque,
 9 insulsos fugit et parum venustos.
 10 Sed cuinam cupis, o columba, munus
 11 deferri ? Scio ; nam meam puellam
 12 amas plus oculis tuis, nec ulla
 13 vivit mundior elegantiorve.
 14 Haec te in deliciis habebit, haec te
 15 praeponet nitidis suis ocellis,
 16 nec tanti faciet suam sororem.
 17 Hujus tu in gremio beata ludes,
 18 et circumsiliens manus sinumque
 19 interdum aureolas petes papillas.
 20 Verum tunc caveas, proterva ne sis ;
 21 nam poenas dabis et quidem severas,
 22 tantillum modo tam venusta poma
 23 de tactu vitias : et est Diones
 24 tutelae hortulus ille dedicatus ;
 25 numen laedere tu tuum caveto.
 26 Impune hoc facies, volente diva,
 27 ut, cum te roseo ore suaviatur
 28 rostrum purpureis premens labellis,

29 mellitam rapias jocosa linguam,
 30 et tot basia totque basiabis,
 31 donec nectarei fluant liquores.

QUERITUR DE INGENII TENUITATE

P1_06 v.1 Aerii montes et mollia prata nemusque
 2 et vos carminibus flumina nota meis,
 3 quod me tam gracilem voluistis ferre poetam,
 4 indignor, magnae laudis amore calens.
 5 Nam mihi jam pridem tenues agitantur amores,
 6 attritamque sequor vatibus ipse viam,
 7 intactos ausus necdum contingere fontes
 8 arduus et summi carpere montis iter
 9 Hic, ubi Pierio recubans Lucretius antro
 10 concinuit Latio carmina digna sono,
 11 ac rarum sicut fecundo pectore vates
 12 rerum naturae condidit auctor opus.
 13 Sed tamen, ante diem quicquid properatur, acerbum est,
 14 maturumque suo tempore quicquid erit ;
 15 omnia fert aetas, et perficit omnia tempus,
 16 nec serum quicquam tempus et hora ferunt.
 17 Prima velim teneris intendat amoribus aetas,
 18 cantet et ad citharam nostra Camena suam,
 19 ac primum teneros miretur Fannia versus,
 20 quos mea demulcens pectora dictat Amor,
 21 lascivumque prius me sentiat Umbria vatem,
 22 gaudeat et nostro carmine lector amans.
 23 Sera meis veniet, veniet si fama libellis,
 24 in pretio cum sit nostra senecta suo.
 25 Tunc ego Castalias (vivam modo) pronus ad undas
 26 perfundam sancto labra liquore senex,
 27 quatuor et referam digesta elementa figuris,
 28 primum ignis, post hunc aeris esse locum,
 29 Terra sit ut media mundi regione locata
 30 nixa suis opibus, pondere tuta suo,
 31 intervalla tenens distantia partibus aequae
 32 bruta quidem et solido sorte recepta loco,
 33 quam pater Oceanus spumantibus abluit undis
 34 amplectens, medio dissociatque freto ;
 35 sint duo praeterea, quorum sullimis ab Arcto,
 36 imus ab opposito dicitur axe polus ;
 37 hos circum immensi volvatur machina mundi,
 38 nec tamen impositum sentiat axis onus ;
 39 denique gignendis quaenam sint semina rebus,
 40 unde suos ortus edita quaeque trahant,
 41 unde pavor cervis, rabies atque ira leonum,
 42 raucaque cur cornix, et bene cantet olor ;
 43 quid calidi fontes imbri, quid noctibus Ammon
 44 ferveat et medio frigeat usque die ;
 45 quem dederit rebus finem natura creandis,
 46 Centauri nunquid, Scylla vel esse queant,
 47 cur non luna suo, sed fratris luceat igni,
 48 quid vehat et Procyon, quid vehat ortus Equi.
 49 Felices animae fati melioribus usae,
 50 cura quibus primis talia nosse fuit ;

51 non illis studium gemmae, non dira cupido,
 52 divitis aut auri pernicioza sitis,
 53 sed superum casto rimabant pectore templum ;
 54 quis superis nunc est vita beata locis.
 55 At mihi servitium et tristis jam vita paratur,
 56 illaque libertas pristina surripitur,
 57 immatura meae nec parcunt fata juventae.
 58 Ne peream, tu me, Fannia cara, juva.

HYMNUS IN NOCTEM

P1_07 v.1 Nox amoris conscia, quae furenti
 2 ducis optatam juveni puellam,
 3 grata dis magnis et amica blandae,
 4 Nox bona, lunae,
 5 quam colunt unam Geniusque Hymenque
 6 et suo gaudens Erycina nato,
 7 cum ferus diras acuit sagittas
 8 tendit et arcum ;
 9 o voluptatis comes et ministra,
 10 quae bona ex te fert thalamus torusque,
 11 quas sopor fert illecebras jocosque
 12 deliciasque,
 13 quas simul juncti faciunt amantes
 14 inter amplexus trepidumque murmur,
 15 inter et ludos tenerasque rixas,
 16 dum furit ardor,
 17 dum micant linguis, animaeque florem
 18 ore deducunt querulo, parique
 19 concidunt motu, resoluta postquam
 20 grata libido est.
 21 Tu quies rerum hominumque sola,
 22 tu graves curas et amara fessae
 23 amoves menti, et refoves benigno
 24 pectora somno ;
 25 tu redis mundo redimita frontem
 26 siderum sertis, reficisque grato
 27 rore perfundens violaria, agros
 28 frugibus explēs.
 29 Da meis finem, dea magna, votis,
 30 et quod optamus, liceat potiri,
 31 ne voret tristis penitus calentes
 32 flamma medullas.

AD MUSAS

P1_08 v.1 Nymphae, quae nemorum comas virentis
 2 atque undas Aganippidas tenetis
 3 et saltus gelidos virentis Haemi,
 4 vos, o Thespiadum cohors dearum,
 5 vestris me socium choris et antris
 6 vulgi avertite dentibus maligni ;
 7 et me Castaliae liquore lymphae
 8 sparsum cingite laureis corollis

9 cantantem modo Sapphicis labellis.

AD FANNIAM

P1_09 v.1 Quid mihi tam multas proponis, Fannia, poenas,
 2 et cupis in tantis excruciare malis ?
 3 Sit satis interdum gravibus me affligere verbis,
 4 et miserum de me sumere supplicium.
 5 Non ego servitium dominae tam mite recuso
 6 (ah pereat, siquis vincula et ipsa timet) ;
 7 luminibus sed dura meis te subtrahis, et me
 8 excludit posita clausa fenestra sera,
 9 sed numquam potui lacrimis aut fletibus ullis
 10 efficere, ut vobis mitior ipsa fores.
 11 An quia te a teneris dilexi puriter annis,
 12 hoc meruit de te, perfida, longus amor ?
 13 Quid si me alterius cepissent lumina ? Quid si
 14 altera in amplexus isset amica meos ?
 15 Hoc nocuit misero servisse fideliter uni,
 16 hoc nocuit tanta semper amasse fide.
 17 O pereat quicumque colit tenerasque puellas,
 18 et durae sequitur militiam Veneris.
 19 Et mihi si posthac fuerit quae gratia tecum,
 20 dilanient avidi tum mea membra lupi,
 21 tum mea membra avido discerpant gutture corvi
 22 effodiantque oculos, qui mihi causa mali.
 23 Ah valeant veneres, valeant mala gaudia, amores :
 24 casta placent, luxus desidiose, vale ;
 25 jam mihi Francisci tunicam cordamque parate,
 26 jam teneant nudos lignea vincla pedes ;
 27 quam jucunda mihi jejunia, quis ego caelum
 28 emeream, cum me solverit atra dies.
 29 At tu tunc nostros flebis deserta labores,
 30 cum subeant Veneris dulcia furta meae,
 31 cum subeant dulces quas tecum ducere noctes
 32 saepe admirata es, lassaque facta prior.
 33 Sed quid tum lacrimae ? Quid tum tibi vota precesve ?
 34 Quem semel expuleris, non revocatur amor.
 35 Non mihi cara quidem poteris, non bella videri,
 36 non, si sic fieri Jupiter ipse velit.
 37 Et licet in te alius dives suspiret amator,
 38 exemplo fuerit cautior ille meo ;
 39 ac, ne quem lateat quam sis non mitis amanti,
 40 saevitiam dicet parva tabella tuam,
 41 quam legat et juvenumque chorus doctaeque puellae,
 42 et quicumque tuam sensit, Amor, pharetram :
 43 "Fannia despectos semper fastidit amantes,
 44 hoc illi vitium mater iniqua dedit."

PHILIPPI AD FAUSTINAM EPISTOLA

P1_10 v.1 Quam tibi maluerim praesens, Faustina, salutem,
 2 littera sollicitae nuntia mentis habet.
 3 Siqua videbuntur scriptis temeraria nostris,

4 hoc constans veri pignus amoris erit.
 5 Consilio regitur quisquis moderantius ardet,
 6 inconsultus erit, siquis amare volet ;
 7 hoc mihi turpe putem, sapiens si dicar amator ;
 8 quique amor est aliis, sit furor ille mihi.
 9 Forma minor certe quam nostra insania vestra est,
 10 sed pudor iste mei causa furoris erit,
 11 quamvis et facie veteres heroidas aequas,
 12 o non humano nata puella toro.
 13 Hermionen laudant, quod erat spectanda capillis,
 14 et sibi Apollinea fecerat arte comam ;
 15 hocque Clitemnestre potuit formosa videri,
 16 candida quod roseus sparserat ora color ;
 17 sola Helene in terris, sola ejus forma probatur :
 18 sed tamen huic Helenae quid, nisi forma, fuit ?
 19 Cum tibi praesertim sint doctae Palladis artes,
 20 sit comes ex omni gratia parte tibi ;
 21 adde, quod et fastus semper contemnis iniquos,
 22 (Tyndaridum tota est dicta superba domus).
 23 Vidi ego te in primi spatiantem limine templi,
 24 ille locus nostri vulneris auctor erat,
 25 et vidi et perii, gelidoque in pectore dixi :
 26 "Non haec templa mihi, templa salutis erunt."
 27 Ignibus urebar tacitis, ut Vesvia rupes
 28 undaque in Oetaeis Thermopylaea jugis ;
 29 non tamen audebam tacitos aperire dolores,
 30 ingenium metuens, casta puella, tuum.
 31 Donec qui teneris pertentat corda puellis,
 32 vulnera nostra tibi caeca retexit Amor,
 33 fecit et optares communis pascere flammis,
 34 injecitque tibi mutua vincla Venus.
 35 Nam neque Abydaei juvenis Sestaeque puellae,
 36 aut in amore alio tanta reperta fides ;
 37 Milanion nostros nequeat sufferre labores,
 38 Hylaeam quamvis senserit ille manum.
 39 Non labor huic fuerat varios contemnere amores,
 40 una sed Iasidi cura placere suae ;
 41 at mea cum multis placuisset forma puellis :
 42 "Huic uni, dixi, noster inhaeret amor."
 43 Tu quoque, ne formae quicquam jam deesset honestae,
 44 mansisti in nostra, Laodamia, fide.
 45 Illius absentem retinebat Troja maritum,
 46 Troja cinis misero, Protesilae, tibi ;
 47 interea vultus illi referebat amatos
 48 cerea formati dulcis imago viri,
 49 huic et blanditias, huic et dilecta ferebat
 50 oscula, cognati haec pars erat aequa tori,
 51 hanc etiam noctes thalamo complexa fovebat,
 52 tantus in absenti conjuge saevit amor ;
 53 et frustra miseri pulsabant limina amantes,
 54 floridaque obductis sarta dabant foribus.
 55 Sicque diu viduo permansit fida cubili,
 56 hinc etiam cineres ingemitura viri ;
 57 hoc castam decuit, sic exspectare decebat,
 58 virginis haec fuerant conscia signa bonae.
 59 Tunc mea felices implebant carbasa venti,
 60 unus eram, de quo diceret omnis amans ;
 61 ipsi ridebat caelum mihi, et ipsa favorem

62 spondebant rebus fata benigna meis.
 63 O quotiens solem cernenti intercudit illud :
 64 "En quanto melior sors mea sorte tua est ; "
 65 dicebam lymphis : "Quae nunc sic curritis, undae,
 66 vos rapidum certe contineatis iter ; "
 67 dicebam silvis : "Quae nunc sine fronde rigetis,
 68 vos nunc formosas indueretis opes,
 69 fronderent colles, florerent gramina, nostra
 70 si bona novisset, mellificaret apis,
 71 nidum avis in silvis, oblitaque semper amati
 72 conjugis exstrueres, Alcyonea, mari,
 73 Scylla, patrem cupias, Tereu, gaude in Philomena,
 74 in scopulis, Echo, flore, Hyacinthe, novo.
 75 At vos nunc, undae, quae sic jam curritis, undae,
 76 currite, festinum jam celeretis iter,
 77 et vos, o silvae, quae nunc sine fronde rigetis,
 78 gaudete arentis deposuisse comas ;
 79 arerent colles, squalerent gramina, nostra
 80 si mala sentiret, mella relinquat apis,
 81 nidum avis in silvis, memor et tibi semper amati
 82 conjugis erueres, Alcyonea, mari,
 83 Scylla, patrem fugias, Tereu, maere in Philomena,
 84 in scopulis, Echo, flore, Hyacinthe, tuo."
 85 Cor dolet, et gelidus torpet sub pectore sanguis ;
 86 sed tamen invitum dicere cogit amor :
 87 mens abit, et mutis jam lingua in faucibus haeret ;
 88 at dolor iratum cogit acerba queri.
 89 Unde meas primum sumam, Faustina, querelas ?
 90 Quod mihi principium, qui mihi finis erit ?
 91 Vana, fidem et casti fregisti jura pudoris,
 92 vana, deos testes fallere, vana, potes ?
 93 Ingrata et miseri contemnere munus amantis,
 94 obsequiique potes non memor esse mei ?
 95 At quondam Libycis leo dum mugiret arenis
 96 saucius, Androcli munere sensit opem,
 97 inde comes socio permansit fidus in antro,
 98 et pretium victus raptaque praeda fuit ;
 99 cumque cruentasset Romanum caede theatrum,
 100 abstinuit medicas ille ferire manus.
 101 Scilicet humanis aliena est gratia rebus,
 102 justius ingenium debet inesse feris.
 103 Quid si me longae premerent incommoda vitae,
 104 inficeretque meum cana senecta caput ?
 105 Non sic Tithono conjux Eoa relicto
 106 est illum viduo passa jacere toro,
 107 quamvis ille senex, quamvis foret ipsa puella,
 108 non tamen ipsa suum sprexit iniqua senem ;
 109 sed lacrimis carum satiabat maesta cubile,
 110 cum juga luciferis mane ligaret equis,
 111 indoluitque suos lucem deponere currus,
 112 officio cupiens praeposuisse torum :
 113 nec minus Aurorae, quam summo grata tonanti,
 114 olim Dircaeis nox geminata jugis,
 115 scilicet huic teneri suberat quia cura pudoris
 116 atque fides constans ingenuusque pudor.
 117 Sed cave neglectos, quos nec perjura vereris :
 118 nulla quidem laesis gratia caelicolis ;
 119 testis Apollineae Neptunia moenia Trojae

120 Dardaniumque genus Dardaniusque cinis,
 121 testis, qui falsi propter perjuriam nati
 122 indidit Aegeo nomina vana mari.
 123 Si non juratae sprevisset tela Dianae,
 124 Cydippen frustra commonuisset amans.
 125 Hoc est, quod miseris deterrent fulmina gentes,
 126 hoc dedit irato tela trisulca Jovi.
 127 Vidi ego, quae Veneris fallendo iura resolvit,
 128 perfidiae poenas saepe luisse graves,
 129 vidi et, quae roseo fuerant suffusa rubore,
 130 pallida et in lentas ora reversa genas,
 131 et nitidos olim dentes mutasse colorem,
 132 proque coma niveam surgere canitiem.
 133 Sed prius aut Mauro veniam fera praeda leoni,
 134 meque vel irati sorbeat unda maris,
 135 aut mea Caucaseae discerpant membra volucres,
 136 aut Diomedeis devorer in stabulis,
 137 quam tibi vel minimo fuerint perjuriam damno :
 138 sis perjuriam licet, si modo bella manes.
 139 Hanc faciem vitient dentes ? Hunc frontis honorem
 140 canities ? Decus hoc ruga senilis aret ?
 141 Parce, Venus : non est mea, non perjuriam puella,
 142 non perjuriam quidem, si qua puella levis ;
 143 hoc vitium formae est, cunctis haec munda puellis ;
 144 si vitium levitas, nulla puella bona est.
 145 Te meminisse decet, dum, conjugem saepe relicto,
 146 Mavortis cupidi dulce cubile petis,
 147 nec contenta deo, nemorum deserta colebas,
 148 et tibi Marte tuo carior alter erat,
 149 nec foret Aeneas, si non Simoentia rupes
 150 conscia deliciis esset et ipsa tuis.
 151 Siquid peccatum est, siquid meruisse fatetur,
 152 Jupiter, in nostrum poena sit ipsa caput :
 153 poena feros animos et nescia corda remitti,
 154 poenaeque Salmoneum Pirithoumque decet,
 155 poena deos ausum debellavisse Typhoea,
 156 poena decet Nioben, Byblida poena decet ;
 157 at non poena decet jurantem vana puellam,
 158 sit poenae hoc illi penituisse satis.
 159 Paenituit : tu parce, pater ; nam sponte fatenti
 160 lex favet, et magno est gratia magna tibi.
 161 Tu quoque, vita, tuo, siquid peccavit, amanti
 162 da veniam ; merui nil ego, jussit Amor ;
 163 jussit Amor : magno quis enim non cedat Amori,
 164 in cygnum, in pluviam qui jubet ire Jovem ?
 165 Non subit illius felicis temporis hora,
 166 cum mihi suspirans talia visa queri,
 167 nec poterant ipsi succurrere verba petenti,
 168 quippe diserta recens verba premebat amor :
 169 "O utinam, et vereor ne sim tibi vilis in isto,
 170 mutua sit de me cura futura tibi,
 171 qualiscumque tamen seris licet urgeat annis,
 172 unus eris, quem me semper amare juvet ;
 173 tu meus unus eris, quamvis meus esse recuses,
 174 sis licet alterius, tu meus unus eris."
 175 Interea tumidis stillat tibi rivus ocellis,
 176 humentesque rigat candida gutta genas.
 177 Ipse ego solando lacrimas super ora cadentis

178 siccabam digitis anxius usque meis,
 179 jurabam demens fallendi nescius artis,
 180 cum mens certa mihi, certus et esset amor,
 181 tecum compositae venturum ad fata senectae,
 182 mansuramque meam tempus in omne fidem,
 183 tecum post cineres, post dona ingrata sepulcri
 184 trajecturum una flumina nigra rate.
 185 Ipse idem, mea sis eadem cupioque rogoque,
 186 mutua utrimque fides, firmus utrimque et amor,
 187 cura eadem mihi sis, eadem tibi cura Philippus ;
 188 hoc sibi et ipsa fides, hoc quoque poscit Amor.

AD FANNIAM

P1_11 v.1 Amabo, mea cara Fanniella,
 2 ocellus Veneris decusque Amoris,
 3 jube, isthaec tibi basiem labella
 4 succiplena, tenella, mollicella ;
 5 amabo, mea vita suaviumque,
 6 face istam mihi gratiam petenti.
 7 Ah, quid lenta tuum times maritum ?
 8 Ne time, leviter suaviabor.
 9 Apes ut tenero studens liquori
 10 libat summa thymi, aut crocon rubentem,
 11 summa vix tibi suxerim labella,
 12 isthaec dico labella mollicella,
 13 quae me tam facient cito beatum,
 14 quam fiam cito, si neges, misellus.

AURAM ALLOQUITUR

P1_12 v.1 Aura silvarum nemorumque cultrix,
 2 Cynthiae fessae gelidum levamen,
 3 o quies lassis fugientibusque
 4 Pana Napaeis,
 5 grata pascenti niveas capellas
 6 propter Amphrysi venerantis undas,
 7 seu colit gratum nemus atque amati
 8 Daphnidis Idan,
 9 Cynthio semper dea grata, semper
 10 dulcis illius comes, o laborum,
 11 o quies aestus Cephalo virenti in
 12 vertice Hymetti,
 13 linque florentis, dea blanda, colles,
 14 sive in umbrosos gelidosque saltus
 15 Maenalos aut Parthenio in antro
 16 lenta vagaris,
 17 sive Spartanis celebrata nymphis
 18 Taygeta aut molles Phrygiae recessus,
 19 seu tenent verno Zephyro tepenti
 20 litore Baiae ;
 21 hic ubi nostri quotiens amores,
 22 me sine, et lympha fruitur salubri
 23 Fannia (heu torpet gelidus sub imo

24 pectore sanguis),
 25 quae modo in molli studiosa arena
 26 ludit, et circum niveae sorores
 27 cursitant pictas vario legentes
 28 litore conchas,
 29 qualis in vernis Erycina pratis,
 30 Gratiis certans, studio recentis
 31 deligit flores, modo se fluenti
 32 abluit amni ;
 33 interim occulto latitans fruteto
 34 Faunus, armentique deus magister
 35 ebibunt molles avido foventes
 36 pectore flammis.
 37 Huc age et gressus moveas virentis,
 38 floribus nectens croceos capillos,
 39 pinnulis afflans roseos odores
 40 ambrosiamque ;
 41 sed leves tecum volitent Amores,
 42 quisque candentis jaculans sagittas,
 43 sed meum certent facibus cruentum
 44 urere pectus.
 45 Urar, et centum pariter sagittis
 46 figar, ac de me cupiant triumphum,
 47 vel levem immitis modo sentiat si
 48 illa favillam.
 49 Sed quis, heu, nostris calor in medullis
 50 fervet ? En quali exagitamur aestu ?
 51 Tu meos o nunc relevans calores,
 52 aura, venito.

DE QUALITATE AMANTUM

Pl_13 v.1 Miser, qui amat, videtque quod cupit nunquam ;
 2 magis miser, qui amat videtque, nec tangit ;
 3 miserrimus, qui amat videtque tangitque,
 4 nec tangit, ut vult, nec sibi gerit morem.
 5 Expertus hanc sententiam miser dico.
 6 At cui tot insunt commoda ac facultates,
 7 diis is est profecto amans adaequandus.

AD PUELLAS

Pl_14 v.1 O dulces animi mei lepores,
 2 solae deliciae meae Camenae,
 3 o plusquam Veneris papilla bellae
 4 et nympharum oculis venustiores,
 5 amabo, mea basiate labra.
 6 Da mi basia, Gelliana, mille,
 7 da quot Lesbia jam dedit Catullo ;
 8 his addas volo millies trecenta.
 9 Da dulcis totidem, Medulliena.
 10 O desiderium mei furoris
 11 Phyrne, consere labra cum labellis ;
 12 pugnent humidulae per ora linguae ;

13 innitens manibus meoque collo
 14 pendens, in numerum et modum columbae,
 15 caeli sidera vince basiando.
 16 Hyblaeo, Glyca, suavior liquore,
 17 si me vel digito semel lacessas,
 18 cordis deliquium mei videbis.
 19 Sed me nunc animus meus relinquit.
 20 Ah me nunc fugis, ah fugis, miselle,
 21 Clitinam petis et petis Velinam.
 22 Qui fiet, miser, ut duobus unus
 23 vivas pectoribus ? Redi, miselle ;
 24 nam si Fannia viderit vagantem,
 25 invitum capiet, tibi que pennas
 26 victrix eripiet, redire nunquam
 27 ad me tu poteris, morique coges.

AD CHARISIUM

P1_15 v.1 Fannia formosa est, Charisi, Fannia pulcra est,
 2 totaque mollicula est, totaque lacteola est,
 3 et cum lucidulos in me convertit ocellos,
 4 tota Venus, tota est Fannia nequitia,
 5 basiaque humidulis cum sumit rapta labellis,
 6 tum mihi de caelo spargitur ambrosia ;
 7 haec mihi praeripuit sensus, et amara videndo
 8 vulnera dat, lacrimis excubat illa meis.

QUERITUR ANTE LIMEN PUELLAE

P1_16 v.1 Hic me marmoreum faceret deus, hic ego saxum,
 2 quod premeret pedibus Fannia dura suis ;
 3 nam quotiens sacri peteret pia limina templi,
 4 per mea membra suum saxea ferret iter,
 5 et quotiens festis redeunt sua sacra diebus,
 6 limine prodiret conspicienda suo.
 7 Tunc ego, marmoreus quamvis nec sensile saxum,
 8 gauderem nitidis ipse premi pedibus ;
 9 nam nihil est caeli subter regione creatum,
 10 quod non delicias norit habere suas.
 11 Quod, siquid venerem Veneris seu spicula nescit,
 12 durities artus induat illa meos ;
 13 et si te biduum cogar caruisse, necesse est
 14 in speciemque abeat nostra figura rudem.
 15 Una dies tantum est, qua te non, Fannia, vidi,
 16 et sine jam videor sensibus esse meis ;
 17 altera, quam vereor, ne sit lux invida nobis,
 18 et sim de nostro nomine pondus iners.
 19 Quicquid ero, merear cum de te, Fannia, majus,
 20 o saltem strophium possit id esse tuum.

AD BACCHUM

P1_17 v.1 Nunc hederis sertisque novos innecte corymbos,
 2 nunc tua circumdent tempora, Bacche, rosae,
 3 nunc viridis flavas suspendat pampinus uvas,
 4 ingeminetque novas ebria mensa dapes ;
 5 nam mea, Parnasi rediens e collibus, audet
 6 ludere Romanis Calliopea modis,
 7 inque choro juvenum, molli saltante puella,
 8 sopitos longo tempore ferre sales,
 9 Aoniumque movet circum tua pocula plectrum :
 10 "Euhoe, Bacche, canens, ad tua festa veni."
 11 Tu quoque nobilibus pretium jam, laure, poetis,
 12 laure, tuum nobis porrige fronde decus ;
 13 et mea Phoebeis ornentur tempora sertis,
 14 ut merear nomen vatis habere novi.
 15 Stultus ego, fieri credam qui fronde poetam :
 16 non laurus vatem, sed sua Musa facit.

LUDIT POETICE

P1_18 v.1 Jam satis est molli residem lusisse sub umbra,
 2 nostraque nympharum scripta tulisse choris ;
 3 nunc juvat et fortis Trojana in proelia fratres,
 4 Dardanosque iterum ducere in arma duces,
 5 nunc juvat et multa foedatum caede Patroclon
 6 Hectorea raptum commemorare manu,
 7 Aeacidae ut telo cecidit ferus Hector, ut arcu
 8 tabifico Paridis concidit Aeacides,
 9 ferveat ut nimium confidens Troilus armis,
 10 vulneret incautum Thessalis hasta lateris,
 11 utque Neoptolemi disjecta sit Ilios armis,
 12 ut Priamus patrios corrui ante deos.
 13 Scilicet in magnis quaerenda est gloria rebus,
 14 hinc veniant capiti laureaserta meo ;
 15 quod si forte animis respondent carmina nostris,
 16 vel Croesi fuerint vilia regna mihi.
 17 Felices nimium fortunatosque poetas,
 18 et qui Penea tempora fronde tegunt :
 19 una dies satis est hominum delere labores,
 20 vatibus at certe morte carere datum.
 21 O utinam, et nostri fugiant nigra fata libelli,
 22 et sit perpetuo non sine honore rogos ;
 23 o si post cineres et me quoque jactet alumnum
 24 Umbria, carminibus non inhonora meis,
 25 Umbria Pieridum cultrix, patria alta Properti,
 26 quae me non humili candida monte tulit,
 27 vigia quem gelidis placidus circumfluit undis
 28 et Nar sulphureis fontibus usque calens,
 29 hic ubi me viridi puerum sub valle canentem
 30 audiit irrigui caerula nympa loci,
 31 atque ait : "Antra, puer, muscosi fontis et ista
 32 tecta petas, en haec quae tibiserta paro ;
 33 si mecum hoc viridi libeat considerare prato,
 34 tu mea cura, puer, tu meus ardor eris ;
 35 hanc tibi nos dabimus, ne sis modo durus amanti,

36 quam dederat nobis Delius ante lyram."
 37 Plura locuturam subitus deterruit horror,
 38 immersitque suis fontibus illa caput :
 39 Liber adest, quem maturis vindemia ramis
 40 cincta vocat, lateri dolia plena ferens.
 41 Hunc circum Satyri volitant viridesque Napaeae,
 42 ebrietasque rubens, et malesanus Amor,
 43 ac residens pando vetulus Silenus asello,
 44 cui comes a dextra parte Priapus erat.
 45 Tympana pars, alii quatiebant terga juveni,
 46 pars canit et choreas ducit utraque manu,
 47 e quibus haec unus lingua titubante ferebat
 48 (ut reor a calamis, Pan Tegeaeus erat) :
 49 "Primus devictis rediens Lenaeus ab Indis
 50 imposuit capiti sarta novella suo,
 51 primus pampinea docuit de vite liquorem
 52 exprimere et puris dulcia mella favis,
 53 primus et instituit plenis convivium mensis
 54 insolitasque mero concelebrare dapes ;
 55 per te blanda venus, per te jucunda voluptas,
 56 et sine te lusus deliciaeque jacent,
 57 Bacche, quies rerum, terror quoque, Bacche, Gigantum,
 58 subsidium victis jam prope, Bacche, deis."
 59 Hinc Thebas canit et Semelen, interque canendum
 60 urceus huic ansa deficiente cadit,
 61 quem de more humeris suspensum semper habebat :
 62 ille dolet sitiens, praeque pudore tacet.
 63 Ridet turba frequens, imprimis ridet et ipse
 64 Euchius, at comites indoluere senis.
 65 Sed te dum Phrygiae deterrent classica pugnae,
 66 ad veteres lusus, o mea Musa, redis.
 67 Nunquid dura nimis tibi martia castra videntur,
 68 otia quae semper deliciasque colis ?
 69 Scilicet in nobis est consuetudo magistra ;
 70 haec studia, haec artes ingeniosa facit.
 71 Quod si consuesces paulum sudare sub armis,
 72 mox tibi fidenti Martius ardor erit.

QUERITUR DE NIMIO ET NOVO AMORE

P1_19 v.1 Ecce novum nobis indicit Cypria bellum,
 2 ecce alias in me sumit Amor faculas.
 3 Mater, io, juvenem quis me tibi dulcibus annis
 4 eripit, et maestos ingerit in cineres ?
 5 Nam mea crudeles tetigerunt corda sagittae,
 6 atque animam petiit vulneris asperitas.
 7 Mater, io, mea mater, io, succurre dolenti,
 8 Mater, io, migrat spiritus in tenebras ;
 9 et tu cara tuo soror o dulcissima fratri,
 10 ac per quam fuerat vivere dulce magis,
 11 jamque vale, et cineres fratris, germana, repone,
 12 curabisque pias funeris exequias.
 13 Cinnama, si insano dilexi semper amore,
 14 et placuit prae te femina nulla mihi,
 15 o tantum liceat miserae sperare favillae,
 16 ut post nostra tuus funera vivat amor.

17 Quamvis causa meae fueris tu mortis acerbae,
 18 crimina non tua sunt, culpa sed est Veneris ;
 19 nam mihi, quod castam decuit praestare puellam,
 20 a te servata est semper honesta fides ;
 21 non pretium mihi te, fulvum non abstulit aurum,
 22 quaeque animos capiunt munera magna leves.
 23 Sed quid liventis in me convertitis hydros
 24 infaustasque faces, Tisiphonea cohors ?
 25 Parcite, crudeles Erebi Ditisque ministrae,
 26 et canis, et Stygii lurida cymba senis,
 27 parcite, non vestrum est manes retinere poetae ;
 28 Elysia est nobis namque parata domus.
 29 Illic nos nitidi manet aurea Musa Catulli,
 30 cujus adhuc etiam Lesbia in ore sonat,
 31 cui tantum dicunt hi se debere libelli,
 32 quantum nec caro filia blanda patri,
 33 quam juveni ardenti multa cum dote maritam
 34 perducit cari conjugis in gremium ;
 35 illa suo grates persolvit laeta parenti,
 36 quod dederit nomen conjugis ac dominae.
 37 O quicumque meum comitati funus, amici,
 38 vivite felices commemoresque mei ;
 39 et siquando novos tulerit Campania vates
 40 (namque illa et domus et patria Pieridum est,
 41 illa mihi puero sedem studiumque Camenae,
 42 illa mihi nomen contulit ac dominam),
 43 dicite, me juvenem periisse in amore, meaeque
 44 unica quod fuerit femina causa necis.

ALLOQUITUR SUSPIRIA ET LACRIMAS

P1_20 v.1 O jucunda mei suspiria nuntia cordis,
 2 o oculi, nunc jam flumina, non oculi,
 3 haec mandata meae constanter ferte puellae,
 4 gaudeat, ut solita est, fletibus illa meis.
 5 Sensistine graves, immitis Cinnama, poenas,
 6 sensistine meus quam miserandus amor ?
 7 Perfida, me crucias, cum possis sola juvare ;
 8 heu heu, nam per te, perfida, nunc morior.
 9 Quam leviter poteris fato subducere amantem :
 10 sed moriar ; titulus sit mihi mortis Amor.
 11 Si non magna satis periisse in amore puellae,
 12 quantulacumque tamen gloria dulcis erit.
 13 Pallidus a misero cessisset corpore languor,
 14 in vultu si quid dulce notasset amor,
 15 in verbis si mite aliquid. Spes omnis amantum
 16 ex oculis ; oculi nil nisi triste ferunt.
 17 Ore Arabum nemus inspiras, ver ore remittis,
 18 unde tibi nomen, Cinnama, dulce fuit.
 19 Oscula si summis saltem mihi pacta labellis,
 20 concessum ambrosio si semel ore frui,
 21 languidulis animam poteris tum reddere membris,
 22 et nudum inferno me revocare lacu.
 23 Non mala Persephone letum properasset acerbum,
 24 non juveni pallens Styx adeunda foret,
 25 non Phlegethontae sentirem incendia ripae,

26 Eumenidumque angues, terrificumque canem ;
 27 sed tecum carae duxissem blanda juventae
 28 tempora, subque tuo factus amore senex.
 29 At tu, sancta Venus, nostro succurre labori,
 30 tu dea, tu vati, Cypria, parce tuo :
 31 diligat illa suumque et amans suspiret amantem,
 32 et jungi cupiat pectora nostra suis,
 33 proque meis lacrimis totidem succende favillas,
 34 omnia sint illi cognita nostra mala ;
 35 quem fugit, cupiat, quem non est passa juvare,
 36 nunc amet, uratur sic magis inque dies.
 37 Sancta favet ; jamque et placidis arrisit ocellis,
 38 aureolumque dedit lux mea basiolum,
 39 basiolum, nigra quo me revocavit ab unda
 40 atque animam fessis reddidit articulis,
 41 quo sine non Arabum silvae, non rura Sabaea,
 42 ambrosiae spiret nec sine mollis odor.
 43 At tibi servati tanto pro munere vatis
 44 sudabunt tepidis thurea dona focis,
 45 et tibi cantabit laudes mea tibia ; per te
 46 Cinnama dura prius, Cinnama facta bona est.

AD CINNAMAM

P1_21 v.1 Cum me cogit amor quicquam maledicere de te,
 2 dispeream, si non, Cinnama, discrucior ;
 3 discrucior, verum tanto succendor amore,
 4 ut peream, si non, quae velit ira, loquor.
 5 Poena tamen praesto est ; nam vix dum lingua locuta est,
 6 cum mihi fit subito flebile cordolium,
 7 paenitet et caram dictis laesisse puellam,
 8 ac misero in lacrimas vertitur ira mihi.

DE SUAVITATE AMORIS

P1_22 v.1 "Blanditiis amor est et succo mollior omni,
 2 melle quoque est dulci dulcior ac melior.
 3 Hoc condimento caelestis mensa deorum
 4 vescitur, idcirco gratior ambrosia est.
 5 Namque ubi non amor est, ubi non miscentur amoris
 6 suavia, nil lauti nilque leporis inest."
 7 Haec juvenes cantent, quibus est Cytherea benigna,
 8 nam mihi felle malo tristior et gravior.

AD CINNAMAM IRATE

P1_23 v.1 Pauxillum quod amas me, Cinnama, num bene velle
 2 plus tibi quamque oculis credis, inepta, meis ?
 3 Non amo te, fateor (quid enim simulare necesse est ?)
 4 si mihi nec bene vis, nec bene velle cupis.

AD CINNAMAM BLANDE

P1_24 v.1 Da mihi basiolum, mea Cinnama, quale furenti
 2 antehac nulla viro femina surripuit ;
 3 cumque meis pariter conjunge labella labellis,
 4 pro serpente mihi sit vaga lingua duplex,
 5 morsibus in blandis desit dens, murmura desint,
 6 exclususque vaga spiritus ex anima.
 7 Lascivum satis est, quod mollis Francia libat,
 8 verum hoc aureolum est, Cinnama, basiolum.

AD SE IPSUM

P1_25 v.1 Quingentas solitus cum sis adamare puellas,
 2 nunc ab amore tuo quid, Joviane, vacas ?
 3 An quia difficilem sese tibi Fannia praebet,
 4 et rigidos mores forma superba facit ?
 5 Cum tot sint faciles, sit copia mollis amorum,
 6 quaere aliquam, tibi quae sponte placere velit,
 7 quae tibi se dedat, cui sis et carus ocellus,
 8 cui dicas : "Jam jam Fannia nulla mihi est."
 9 Ipsa tibi dicat : "Mea lux, mea vita, meus flos,
 10 liliolumque meum, basiolumque meum,
 11 carior et gemmis et caro carior auro,
 12 tu rosa, tu violae, tu mihi levis onyx,
 13 deliciae cultusque meus, mea gaudia solus,
 14 corque meum, et prae te nil juvat esse meum."
 15 Et quingenta simul capiat tunc basia raptim,
 16 et sine mente oculos volvat agatque suos,
 17 ac, linguam querulo cum suxerit ore trementem,
 18 exanimis collo pendeat ipsa tuo.
 19 Tunc dices : "Amor est succo jucundior omni,
 20 dulcior et melle est, suavior ambrosia est ; "
 21 nec tibi quingentas fuerit sat amasse puellas.
 22 Nil numerus certe, nil in amore valet.

AD THALIAM

P1_26 v.1 Sexcentas, age, basiationes
 2 da nostro, mea, Compatri, Thalia,
 3 quem nos plus oculis amamus unum.
 4 Namque est dulcior Attico liquore,
 5 et quem Sicaniae tulere cannae,
 6 ac nostris prope carior medullis ;
 7 quando non alius sodalis unquam
 8 dilexit magis unicum sodalem,
 9 quam nos ipse amat, atque amamus ipsum.
 10 Si non sunt satis hae osculationes
 11 fac sint mille ducenties ducentae.

AD ANTONIUM PANHORMITAM

P1_27 v.1 Antoni, decus elegantiarum
 2 atque idem pater omnium leporum,
 3 unus te rogat e tuis amicis,
 4 cras ad se venias ferasque tecum
 5 quantumcumque potes facetiarum,
 6 et quicquid fuerit domi jocorum ;
 7 nam tantum tibi risus apparavit,
 8 quantum Democrito diebus octo
 9 profundi satis et super fuisset ;
 10 quod tecum patulo cupit palato
 11 perridere suapte risione,
 12 condita levitate ineptiisque.

AD LAURENTIUM MINIATUM

P1_28 v.1 Uxoris nitidae beate conjux
 2 cunctis conjugibus beatiorque,
 3 quid sentis, age, de meo libello
 4 nobis dissere. Nunquid a Catullo
 5 quemquam videris esse nequiores,
 6 aut qui plus habeat procacitatis,
 7 non dico tamen elegantiores ?
 8 Sed certe meus hic libellus unum
 9 doctum post sequitur suum Catullum
 10 et Calvum veteremque disciplinam.
 11 Non multo minor est novis poetis.
 12 Saltat versiculis canens minutis
 13 hoc, quod non sonuere mille ab annis
 14 Musarum citharae et Lyaei puellae.
 15 Qui si evadere putidam culinam
 16 et tegmen poterit negare thynnis,
 17 foetentes neque vestiet siluros,
 18 studebit pueris placere ineptis,
 19 siqui Castaliae specus liquores
 20 Parnasi nequedum bibere fontis ;
 21 doctas sed fugiet manus virorum
 22 et qui Castalio sinu recumbunt,
 23 contentus, Miniatae, si molestus
 24 non sit vel tibi, vel tuae Cicellae.

IN ANTONINUM CINAEDUM

P1_29 v.1 Antonine cinaedule,
 2 huc ad nos redeas, namque per Herculem
 3 istas turpiculas nates,
 4 si te prenderimus, jam usque adeo malis
 5 virgis exagitabimus,
 6 ut par sit sceleri supplicium tuo.
 7 Audes tu media via,
 8 me praesente, meae communitarier ?
 9 Audes tu niveas rosas
 10 e nostrae gremio tollere Cinnamae ?

11 Post haec tam male pallium
 12 nixus surripere, atque in teneris manus
 13 immiscere papillulis ?
 14 Quod si compulerit me furor improbus,
 15 disces postmodo quid siet
 16 tam bellas manibus tangere feminas.

AD VICINOS

P1_30 v.1 Vicini, moneo bene ac pudice
 2 servetis mihi vos meam puellam,
 3 ne se conferat ad suos amicos,
 4 quos omnes amat impotente amore,
 5 nec mirum, quia mentulatiores ;
 6 quin et si cupitis probi videri,
 7 tales passeribus salaciores
 8 longe a conjugibus movete vestris ;
 9 et tu, si sapis, o puella nequam,
 10 istos desere pessimos amicos
 11 et mecum maneat bona et pudica ;
 12 nam juro tibi per tuam Serapim,
 13 tecum continuas jacere noctes
 14 in multa recubans fututione.

AD PERILLAM PUELLAM

P1_31 v.1 O solatiolum meum, Perilla,
 2 dic : quid Cinnama nostra rure fecit
 3 hos sex continuos dies ? Valetne ?
 4 Nam quidam mihi pessimus cinaedus
 5 dixit quod tenerum pedem catella,
 6 dum ludit nimium, procace morsu
 7 illi presserat, et domi manebat
 8 expectans medicos ab urbe missos.
 9 Quare te rogo per tuos ocellos,
 10 illos praevenias probeque cures,
 11 ne qua se nimium licentiosos
 12 praestent, dum cupiunt boni videri ;
 13 nam bracis sine, pallio tumentis,
 14 manu vix retinent utraque penes
 15 infestos pueris puellulisque.

IN MALUM POETAM, QUEM MUTATO NOMINE UTRICELLUM VOCAT

P1_32 v.1 Non sunt carmina, sed cacationes,
 2 quae se scribere jactat Utricellus ;
 3 est merdosius omnibus latrinis,
 4 quod se scribere jactat Utricellus.
 5 Obtura miserum, Camoena, nasum,
 6 ne te carmina tam cacata laedant.
 7 O merdosa poemata, o quid umquam
 8 erit vel fuit his magis cacatum ?

9 Quamprimum medicos, mei sodales,
 10 ad me ducite ; nam maligna febris
 11 dudum me tenet. Ut dii deaeque
 12 isti dent mala multa, qui nec umquam
 13 scribit carmina, sed cacationes.

DE IMPROBITATE PUELLAE SUAE

P1_33 v.1 Irata est quotiens mihi, puella
 2 tristis me vocat aridum poetam,
 3 et lassum minima fututione,
 4 indoctum veneris, malique penis.
 5 Post haec in triviis, in ore vulgi,
 6 irradientibus omnibus puellis,
 7 dicit tam male me esse mentulatum,
 8 quam vel pumilio puerve trimus.
 9 Quam ob rem constitui meas querelas
 10 deferre ad Venerem, inque jus vocare.
 11 Nam quis tam patiens amator esset ?
 12 Quod si sensero jus mihi negari,
 13 Hellespontiacum deum precabor,
 14 partes suscipiat meas, velitque
 15 pro me, quod minimum facillimumque est,
 16 ulcisci facinus manu severa.

IULIO FORTI SICULO

P1_34 v.1 Juli, pars animae secunda nostrae,
 2 quid non me pateris meas Camenas
 3 omnes projicere ignibus cremandas,
 4 quarum depereunt graves labores,
 5 et perdo miseram subinde chartas ?
 6 Nam quamvis veterum diesque noctesque
 7 evolvam monumenta Juliorum,
 8 attritique adeo mei libelli,
 9 ut nil a solea deesse credas,
 10 semper nostra tamen Thalia friget ;
 11 cujus nequitias ineptiasque
 12 nolis laedere, vel putare nullas,
 13 nec me sordidulum voces poetam,
 14 si non, posthabito facetiarum
 15 lusu, carminibus vacem severis.
 16 Nam, cum desierint graves Catones
 17 et sint tempora Busuluniana,
 18 aequum quis putet esse laude sacra
 19 scelestos celebrare Tarracones ?

LIBER II

MAGICA AD DEPELLENDUM AMOREM, AD THEODORUM GAZAM

P2_01 v.1 Mite caput Lenaeae hedera redimite virenti,
 2 tuque nigram tenebris nox adoperta comam,
 3 languida nunc facili componite lumina somno,
 4 fessaque securus occupet ossa sopor.
 5 Tu modo tincta, puer, Lethaeo dilue somno
 6 pocula ; sic tristis namque fugandus amor.
 7 An mage Thessalicis tentem medicamina verbis,
 8 et rumpam magico vincla veneficio ?
 9 Stant arae, lectaeque suis e collibus herbae
 10 et succi, et magicis carmina ficta sonis ;
 11 tum geminae sacro rorantes imbre cupressi,
 12 inque sepulcrales cedrus adusta rogos ;
 13 nec lunam nox prona negat, nec sidera desunt,
 14 bis genibus, nota bis veneranda prece.
 15 Rore pio conspergo caput ; dic versus in ortum
 16 haec quater, et laevo mox pede tangis humum :
 17 "Vincula nunc haec solvo, atque haec ut vincula solvo,
 18 carmine sic nostro cede solutus, amor ;
 19 cerea ut haec gelida durescit forma sub unda,
 20 durescant rigido corda sepulta gelu ;
 21 carmine Jasonios fugit Medea penatis,
 22 carmine et hoc fugias corde repulsus, amor."
 23 Pulvere quo sterilis quadrupes sua corpora versat,
 24 tu quater hoc ipso pulvere sparge caput ;
 25 Cyzicea mox tinge et aqua, quater amne fluenti
 26 dilue, ut extincto cedat amore calor ;
 27 dic Lethe bona verba, precare obliviam Lethen,
 28 Lethaeo mersas tingat ut amne faces.
 29 Fallor ? An incipiunt tristes discedere curae,
 30 pacatoque venit mollior aura salo ?
 31 In portum mea vecta ratis, retinacula cessant,
 32 libertas portu tutior ipsa mihi est,
 33 libertas cui cedit amor, cui mater amorum,
 34 Ascræas inter maxima virgo deas.
 35 Jam tandem ad Musas antiquaque sacra revertor,
 36 et vatem accipiunt templa operata suum,
 37 Pieriae assistunt aures mihi grata canenti,
 38 et plaudunt numeris Aonis antra novis ;
 39 sed mihi nec sine te dulces, Theodore, Camenae,
 40 Castaliusque juvat nec mea labra liquor.
 41 Et tua jam pridem cinxerunt tempora Musae,
 42 insignemque hederæ circuire comam ;
 43 communes igitur Musae, communia nobis
 44 sunt studia, atque eadem fata duobus eunt.
 45 Me quondam patriæ casus nil triste timentem
 46 cogit longinquas ire repente vias :
 47 castra peto, tenerisque virum confessus ab annis,
 48 Tyrrenas didici sub Jove ferre nives ;
 49 mox, ubi composito redierunt ocia bello,
 50 et repetit patrios Martia turba lares,
 51 exceptit Rhodio quondam fundata colono
 52 Parthenope, studiis semper amata meis.

53 Te quoque Turcaicae fugientem vincla catenae
 54 eiecit patrio Thessalonica solo,
 55 jactatumque diu diversa per aequora tandem
 56 agnovit Phrygio condita Roma duce ;
 57 nunc eodem quo me fato Campania tellus
 58 deliciis pascit terra beata suis
 59 hic, ubi nos longae producere tempora vitae
 60 et resides annos claudere fata velint,
 61 et, cum maturis aetas nos solverit annis,
 62 injicietque avidas Parca maligna manus,
 63 tum mistum cinerem communi honerare sepulcro,
 64 amborumque unus contegat ossa lapis.

BOPHILLUS ADULESCENS ALLOQUITUR PHIELLAM AMICAM

P2_02 v.1 "Si quisquam infernas cupiat praenoscerere poenas,
 2 si quisquam Elysii dona beata poli,
 3 hic faciles vultus, ille indignantia cernat
 4 lumina, in exitium nata, Phiella, meum.
 5 Aurea pacato diffundis tempora vultu,
 6 aurea tranquillo pax et ob ore venit ;
 7 dum loqueris, toto discedunt nubila caelo,
 8 Verna quies roseo est, vernus in orbe decor.
 9 Candida felices sustollant linthea nautae,
 10 quoque petant portus, aura ministrat iter,
 11 magnetem et gelido surgentis axe Triones,
 12 quosque sequatur habet tuta carina deos.
 13 Quod si quem placidis facilis dignaris ocellis,
 14 nectaris huic fontes ambrosiaequae fluunt ;
 15 illic delicias, illic ludosque jocosque,
 16 mille voluptates, gaudia mille geris ;
 17 fortuna potes invita fecisse beatum
 18 quemque velis, miserum quemque beasse velit.
 19 Aspice divinas humano in corpore dotes ;
 20 nil mortale tibi, digna puella polo es.
 21 Atque utinam invideant ne te caelestia nobis,
 22 et nova Phoebeo sidere flamma mices.
 23 O bene, quod veteres mutarunt numina mores,
 24 vertit amatorem fabula nulla Jovem ;
 25 in te non taurum, non ille subiret olorem,
 26 non Danaes rutilam solveret in pluviam,
 27 sed nitidus blando coetu comitatus amorum
 28 in thalamum veheret, dia puella, suum,
 29 et tua gemmali posuisset membra cubili
 30 illa deum requies delictumque Venus.
 31 Hoc melius. Nunc ille jocos, nunc audit amantes ;
 32 et juvenum curis, quas tulit ipse, favet,
 33 ille mihi de te spondet quaecumque rogarim,
 34 teque meo pepigit, candida nympha, toro.
 35 Tu quoque junge pios fido cum conjuge amores ;
 36 ipse etenim et conjux, ipse et amator ero.
 37 Qualis Chaoniae devinctus amore maritae,
 38 nescit amans volucris fallere jura suae,
 39 nec te tam formae capiat decor iste superbae,
 40 ut tua commorint taedia iniqua deos.
 41 Si facilis quondam Daphne Peneia fuisset,

42 non staret duris frondea limitibus,
 43 nec tam crudeli fato rapuisset amantem
 44 sortis Anaxarete causa modusque suae.
 45 Et mihi nescio quid blandis promittere ocellis,
 46 et mihi nescio quid dulce videre loqui,
 47 utque supercilio spondes nutuque loquaci,
 48 non nihil ipsa meis mota venis precibus.
 49 Nec nomen capiat te virginitatis inane ;
 50 nullis illa quidem est inclyta temporibus.
 51 Illi virginitas, illi sua cura pudoris,
 52 siqua puella deis casta facit superis ;
 53 Virginitas tua, Cydippe, tua, Maenali diva ;
 54 nos modo naturae dulce sequamur iter.
 55 Atque utinam in priscos redeant nova secula mores,
 56 aurea quis Latio regna fuisse canunt,
 57 cum passim virides nullo custode per herbas
 58 ibat amatori juncta puella suo,
 59 non quem dura parens, non quem pater improbus illi,
 60 mutua sed placido junxerat ore Venus ;
 61 atque ita composito jungebant foedere curas,
 62 una fides, unus lectus, et unus amor.
 63 Tecum ego muscosis habitarem dives in antris,
 64 atque idem lectus arbor et herba foret ;
 65 arbor compositas jaceret recubantibus umbras,
 66 praeberet mollem cespitis herba torum,
 67 et circum querulo streperent virgulta canore,
 68 et streperet querula qui salit amnis aqua,
 69 luderet et suavis demulcens ore querelas
 70 Attica frondosis ales in arboribus ;
 71 sic mecum fixis haereres nixa lacertis,
 72 lascivis relegens oscula blanda jocis,
 73 mutua sic placido traheremus gaudia lusu,
 74 et regum magnae despicerentur opes."
 75 Haec ille, et saevus quaecumque coegerat ardor,
 76 quaecumque et didicit verba disertus amans :
 77 at nymphe, varios immutans ore colores,
 78 paulatim victas jam dabat ipsa manus,
 79 illius et fixis haerens pendebat ocellis ;
 80 uritur, et taciti signa furoris erant,
 81 et conata loqui singultim pauca locuta est,
 82 deque verecundo fugerat ore color.
 83 Ac furtim laxis foribus progressa parabat
 84 currere in amplexus, care Bophille, tuos,
 85 cum mater saevis cumulans objurgia dictis
 86 a specula natam jussit abire suam.
 87 Sic quos junxit amor, tristis custodia solvit :
 88 o nullo vacuum tempore quisquis amat.

QUERITUR DE BAIANIS BALNEIS

P2_03 v.1 Annu Baianis redeunt spectacula lymphis,
 2 et medicas aperit terra salubris aquas,
 3 litoraue arrident teneris spectanda puellis,
 4 et suus est illis undique mistus amans.
 5 Litora non umquam nostras solantia curas,
 6 sed semper saevis addita causa malis,

7 quid juvat ingratos membris depellere morbos,
8 si curas animo tristitiamque datis ?
9 Hinc ego, cum vestro quaesissem a fonte salutem,
10 vulnera non ipsi perpetienda tuli.
11 At vos, o toto dispersi litore nautae,
12 nunquid et hac vecta est nostra puella rate ?
13 Quos tenuit fontes ? Aut quas petit improba thermas ?
14 Quosve habuit comites ? Quemve secuta ducem ?
15 Infelix avibus locus hic, undaeque nocentes,
16 me miserum, volucris non nocet ipse deo.
17 Atque utinam haec nunquam tetigisset litora victor
18 Alcides, oris missus ab Hesperiiis.
19 Viderat ille gregis praeda ex Balearide pompam,
20 unde et Pompeius nomina vicus habet :
21 ecce fuit totis infecta per agmina castris
22 perque omnes saevit mors inopina vias,
23 ipsa suis spargit manibus pestemque luemque,
24 exsatiatque animum cruda noverca suum ;
25 nil medicae prosunt artes cantataque verba,
26 aut e marrubiis herba revulsa jugis.
27 Procumbit, supplexque Jovem Tirynthius heros
28 orat, et intonso de grege mactat oves,
29 exquiratque deum pacem nymphasque precatur,
30 quasque virens Gaurus, quas et Avernus habet.
31 Audiit hic genitor natum, audivere sorores,
32 quasque salutiferas fundit Araxis aquas ;
33 nam passim toto manarunt litore lymphae,
34 erupitque cavis fontibus auxilium,
35 sulphureaeque micant undae, scatuitque sub antris
36 fumidus et medicas extulit humor opes.
37 Nec mora, jussus aquis lavit se exercitus illis,
38 tristis et ex omni corpore pestis abit.
39 Forte amor in nymphen Laeborida tela parabat,
40 in quam Vulturum fixerat ante deum,
41 Aenariaeque procul secreta in rupe sedebat,
42 dum cavet insidiis callidus arte locum.
43 Audiit hic dum laeta Jovi canit aequare toto
44 miles, et Herculeis vocibus aura favet ;
45 aura favet gratasque dei perducit ad aures,
46 quantum opis hic illis vis et inesset aquis.
47 Spem capit admonitus lucis caraeque salutis,
48 captaque restitui lumina posse sibi
49 (namque olim pharetra nimium pueriliter usus
50 torsit in armiferam spicula acuta deam ;
51 at Pallas, pueri telum aversata, retexit
52 Aegida vipereas explicuitque comas ;
53 hinc puero riguere oculi, visque ipsa videndi
54 tabuit, atque hebeti lumine abinde ferit.
55 Consilio Veneris tamen atque ex arte Cupido
56 ipse vicem et fratris munera frater obit ;
57 arcum stringit Amor, moderatur tela Cupido,
58 laxandique arcus signa dat ipsa Venus,
59 at caecos Jocus incessus inceptaque caeca
60 dirigit et fraudes illecebrasque parat),
61 ac subito auratae fulxere per aera pennae,
62 et volucer celsa movit ab arce deus.
63 Huc postquam ventum est, medicis et constitit undis,
64 et tepido laetus margine sedit aquae,

65 mox arcum ardentisque faces volucresque sagittas
 66 deposuit (misero cognita tela mihi)
 67 incubuitque genu duplici ; tum flumina palmis
 68 haurit, et infuso lumina rore lavat,
 69 terque quaterque oculis amnem suffundit ; at illi
 70 luxit, et auxilium Tullia lympha dedit.
 71 Hinc nunc tam certo meditatur spicula jactu,
 72 acrior et multo quam fuit ante ferit,
 73 nec tantum volucris praefigit pectora telo,
 74 saeva sed ex oculis vulnera multa parat ;
 75 his ille insidias fallax, his retia tendit,
 76 his capit et captos sub ditione premit,
 77 his ego, me miserum, tristi servire puellae
 78 cogor, et aeternum vincula dura pati.
 79 Atque utinam primis mater me flesset ab annis,
 80 et rapta e cunis funera nostra forent ;
 81 non ego tam multos sentirem in amore dolores,
 82 servitium et quererer regna superba diu,
 83 nec turpis de me per multas fabula gentes
 84 isset, et ingenii fama sinistra mei.
 85 Ah pudeat vatem, pudeat pia sacra colentem
 86 nequitiam et Veneris turpia castra sequi ;
 87 cingite victrices laurus, mihi gloria parta est,
 88 cessit amor, vacuo est pectore pulsa venus,
 89 effracti cecidere arcus ruptaeque catenae,
 90 liberaeque erepto sunt mea colla jugo.

DE INFELICITATE GENERIS HOMINUM

P2_04 v.1 Non ulla terris habitat aut pax aut quies,
 2 Inferna dirae et luctus occupant loca,
 3 exercet in mortalibus regnum metus,
 4 regnat libido, fraudis et scelerum caput ;
 5 quae prima fulget homini infelix dies,
 6 comitem profundo ducit ex Erebo simul
 7 dolorem et aegritudinem. O sortem asperam,
 8 o dura fata et semper in pejus malum.
 9 Nemo beatus : ille divitiis fluens
 10 inops habendo ; hunc sceptris terris praeferunt,
 11 ipse est sui impositus, et, quibus praeest, timet ;
 12 his ficta virtus limes ad summum est bonum,
 13 et pandit oris squalor ad superos viam.
 14 Haec illa squalens dira et infelix plaga,
 15 Cocytiae fauces inexorabiles,
 16 Phlegethontis ignes, gurgitesque Acherusii,
 17 haec Tantalea sitis, jecurque fecundum,
 18 et membra diri Ixionis torquens rota.
 19 Sed quid, recensens plura, in immensum trahor ?
 20 Sumus hic tot inferi, quot homines vivimus,
 21 suosque quisque dirus est Erebus sibi.
 22 Nobis amores et libido pectoris,
 23 et una non unius obstetrix mali
 24 humana facies, cujus ex oculis fluit
 25 amor, odium, pax, ira, spes, metus simul,
 26 et quas gerit cruenta Tisiphone faces.

CASIM FONTEM AEGROTUS ALLOQUITUR

P2_05 v.1 Rura tuis qui nostra rigas humentia lymphis,
 2 quam procul hei misero nunc mihi, Casis, abes.
 3 Tu nunc muscosa placidus sub rupe vagaris,
 4 redditur et fluxu lenior aura tuo,
 5 altaque praetexit virides tibi populus umbras,
 6 et mille in foliis dulce queruntur aves ;
 7 at me nunc tristi fessum Campania morbo
 8 detinet, et venas urit anhela sitis,
 9 nec prodest viridi totiens te ornasse corona,
 10 cinxisse et capiti plurimaserta tuo,
 11 nec prodest dulcis totiens cecinisse querelas,
 12 numinis et causas edocuisse tui :
 13 "Namque dies aderat, sceptrum quo cepit Olympi
 14 Jupiter, hoc divis prandia lecta dabat.
 15 Tum puer Idaeus, dum pocula grata ministrat
 16 spectaturque suo digna rapina Jove,
 17 atque inter mensasque deum laudesque superbit,
 18 et tanto facies conscia teste placet,
 19 incautus, labente gradu, carchesia fudit,
 20 multus et e patera fluxit hiante liquor ;
 21 qui praeceps summa caeli de parte volutus
 22 in terras larga constitit uber aqua.
 23 Ad quae surridens genitor : monumenta manebunt
 24 certa, puer, casum testificata tuum ;
 25 amnis erit, qua nunc grati effluxere liquores,
 26 Casis erit fonti nomen honosque tuo.
 27 Oscula tum puero raptim libavit, at illi
 28 fulxit sidereus sparsa per ora color."
 29 Has ego blanditias, memini, cantare solebam
 30 fusus ad herbosae fluxile murmur aquae ;
 31 at tu longinquos nimium summotus ad Umbros
 32 Aoniae nunc es immemor ipse lyrae,
 33 nec mihi nunc solito praebes de margine rivos,
 34 arida nec suetus temperat ora liquor,
 35 solaque languentis sensus mihi restat imago,
 36 cum mens furtivas aegra requirit aquas.
 37 Interdum somno dulcis haurire liquores,
 38 et madido videor pellere ab ore sitim ;
 39 haec mihi dat somnus solatia, dum Canis ardet,
 40 et grave siccatos sidus hiulcat agros.
 41 At vos, Pierides, vestro succurrite vati
 42 (profuerit fontes saepe bibisse sacros),
 43 vos mihi Persephonen cantu placate ; moveri
 44 namque potest : movit Bistonis ante lyra.

LAUDES CASIS FONTIS

P2_06 v.1 Casis, Hamadryadum furtis jucunde minister
 2 et cupidis rupes semper amica deis,
 3 ad quem saepe, sui linqens secreta Lycaei,
 4 Pan egit medios sole calente dies,
 5 Maenaliisque tuos implevit carmine montes,

6 et septem cecinit fistula blanda modos,
 7 cum passim junctaeque manus et brachia nexae
 8 ducebant placidos Naides ante choros,
 9 carpebantque hilares justa virgulta capellae,
 10 haedus et in molli subsiliebat humo ;
 11 quin etiam, defessa jugis siquando Diana
 12 egit praecipites per cava saxa feras,
 13 hic posuitque latus, viridique in margine sedit,
 14 et vitreo flavas lavit in amne comas ;
 15 te Bacchus, te Phoebus amant, tibi carmina nymphae
 16 dulce canunt, tibi se comit amata Dryas,
 17 Pelignosque suos siquando et rura relinquit,
 18 lassa subit fonti Calliopea tuo
 19 et lenem querula carpit sub fronde quietem,
 20 qua cadit arguto murmure lympha fugax.

AD PIUM PONTIFICEM MAXIMUM

P2_07 v.1 Sic tua Paeoniis vincantur taedia succis
 2 Phoebeaeque levent languida membra manus,
 3 sic tibi et in Turcas assit Victoria mater,
 4 et Solyman teneas sub ditione domum,
 5 da precibus facilis aures, vatique faveto
 6 vates, neu pietas sit tua dura mihi.

AD MARINUM TOMACELLUM SODALEM

P2_08 v.1 Fata vocant, lux alma, vale, jam deleor. At tu
 2 inferias vati solve, Marine, tuo ;
 3 ossa quoque in patriam miserae transmittite parenti,
 4 accipiat cineres testa paterna meos ;
 5 et soror ingratae persolvat justa favillae
 6 spargat et e lacrimis nostra sepulcra suis.
 7 Illa etenim tellus, quae me genuitque tulitque,
 8 contegat et grata membra reponat humo.
 9 Officium fac, amice, pium, manesque piato,
 10 atque Arabo noster spiret odore rogos.
 11 Viveret o utinam frater tuus, ipseque tecum
 12 vidisset potius funera nostra Leon ;
 13 ille meos flentis dextra clausisset ocellos,
 14 junxisset geminas et mihi rite manus,
 15 ossaque jussisset molli requiescere terra,
 16 et data perpetuum paxque quiesque foret,
 17 ille meos obitus versu flevisset amico,
 18 redderet et vati carmina maesta suo ;
 19 sic mihi mors nec amara foret, nec saeva timerem
 20 fata, nec Alecto quas gerit ante faces.
 21 At tu, siqua tui superest tibi cura sodalis,
 22 fac madeant lacrimis funera nostra piis ;
 23 te dulcis deflere juvet lususque jocosque,
 24 quos mea non ultra Musa sepulta canet.

DE QUERCU DIIS SACRA

P2_09 v.1 Haec vetus et multos quercus servata per annos,
 2 si fas est vati credere, numen habet ;
 3 namque sub hac jacuit mistus Naretide nympha
 4 Pan, montanicolae captus amore deae.
 5 Maenalon ille suum dilectaque rura Lycaeii
 6 Parrhasiaeque procul liquerat antra domus,
 7 venerat huc, virides stringit qua Vigilia ripas
 8 et patrium riguo perluit amne solum ;
 9 vidit eam, liquidis dum se fovet inscia lymphis
 10 et fessa aestivo membra calore levat ;
 11 tum perit, saevaeque animum fixere sagittae,
 12 ussit et Aetnaeus pectora adesa calor.
 13 Ac subito hirsuto demissa est fistula collo,
 14 et pastorali carmina voce sonat :
 15 "Nympha, decus nemorum, sacro quae fonte lavaris,
 16 candidaque in nitido flumine membra rigas,
 17 brachia sunt niveo tibi candidiora ligustro,
 18 collaque montana non minus alba nive,
 19 purpureoque genas suffundens dia rubore
 20 tingis Punicea lilia cana rosa.
 21 Qui tibi sic lucent, per quos ego perdor, ocelli
 22 nimirum Eoi luminis instar habent.
 23 Oscula si liceat teneris sumpsisse labellis,
 24 vilis Hymetos erit, vilis et Hybla mihi.
 25 O si quae vitreis referunt se membra sub undis
 26 contigerim, o cupido membra fovenda sinu.
 27 Nec tu sperne deum, cui servit Nonacris ora
 28 cinctaque montanis Itala terra jugis ;
 29 Pana deum pecoris cuncti venerantur agrestes,
 30 quique tenent alii rura nemusque dei.
 31 Ipse ego lac docui distento ex ubere caprae
 32 exprimere et fuso cana colostram sero,
 33 per me etiam tenero sunt mista coagula lacti,
 34 inclususque suo caseus orbe fuit,
 35 quin etiam tenuis lanae felicia texta
 36 intonsa et docui carpere vellus ove ;
 37 his mihi muneribus superata est Luna beatis,
 38 venit et in nostrum candida diva torum.
 39 Aspice quam pingues agni, quam laetus in agro
 40 haedus et in molli luxuriatur humo :
 41 hi tibi munus erunt, longumque intacta per aevum
 42 fistula Nonacriis invidiosa deis,
 43 pro qua quid non fecerunt Heliceque Lyceque
 44 Cylleneque aliis dura puella procis ?
 45 Hac tu cantabis laudes pecorisque tuasque,
 46 hac mecum dulcis experiere modos."
 47 Illa deum fugiens, humili sublapsa salicto,
 48 delitet et surda rejicit aure preces.
 49 Quid faciat ? Qua spe miserum soletur amorem
 50 infelix ? Quanam leniat arte malum ?
 51 Omnia tentanti frustra viresque paranti
 52 obtulit, optati casus amoris opem.
 53 Quercus erat late patulis densissima ramis,
 54 dives et intacto vertice sacra comam ;
 55 fama manet Faunos hic discubuisse madentes
 56 saepius, et laetos hic agitasse choros ;

57 inde loco metus, ac longos venerata per annos
 58 silva manet, medius praeterit antra liquor,
 59 antra racemiferis semper vestita corymbis,
 60 semper silvicolis antra petita deis.
 61 Huc dea post aestus, venandi fessa labore,
 62 venerat et molli lassa quierat humo,
 63 cui labor et strepitus rivi salientis et umbra
 64 optatos somnos et levis aura facit.
 65 Forte greges illuc, umbra ut viridante levaret,
 66 ducit, et ipse cito Pan petit antra pede :
 67 ecce videt stratam cupidus per gramina nymphen ;
 68 constitit, et tacita gaudia mente rapit.
 69 Mox sensim summaque pedes suspendit in herba,
 70 et presso nullus redditur ore sonus.
 71 Ut tetigit niveae semota cubilia nymphae,
 72 et timet, et faciles huc agit hucque manus,
 73 subducit retegittque sinus nudatque papillas,
 74 hinc genua in molli lenta recurvat humo ;
 75 blanditur femori digitis, collumque genasque
 76 libat, et amplexu pectora nuda fovet,
 77 jungit et os ori, mox ad sua gaudia pergit,
 78 et sperata diu re sibi vota capit.
 79 Illa ubi se captam dulci resoluta quiete
 80 sentit, ab opposita proelia veste movet ;
 81 verum ubi nec precibus nec vi permovit amantem,
 82 paulatim victa est, deposuitque metum.
 83 Juvit opus, facilemque deo dea praebuit, inde
 84 saepius ad gratum venit amica locum.
 85 Hinc arbor sacrata diis, quod mille tabellae
 86 antraque votivo munere culta docent.

DE CAMINO MONTE ET MUSARUM LATEBRIS, AD ELISIUM GALLUTIUM

P2_10 v.1 Quisquis ades, venerare locum vati que faveto ;
 2 dum canit, et dictis credite, vera canit.
 3 Jam super addiderat frondosum Pelion Ossae
 4 Titanum caelo perniciose manus,
 5 turbaque caelestum misero confusa pavore
 6 cedebat, nullo bella parante Jove ;
 7 cum sacer Aonidum chorus imbellesque puellae
 8 aethera praecipiti deseruere fuga.
 9 Non illis Helicon, non multo numine clarus
 10 Parnasus tutos exhibuere lares.
 11 Antra petunt, notasque domos liquere, metuque
 12 longa pererratis finibus arva tenent.
 13 Accipit hospitio fessas mitissimus amnis
 14 Liris, et hospitio sedulus addit opem.
 15 Mons fuit et scopulis et vallibus undique cinctus,
 16 cujus ad ima cavae plurimaque antra jacent ;
 17 huc natus Jovis ille levi placidissimus alveo
 18 devehit, et tacitis abdidit in latebris.
 19 Sed neque Mnemosynes partum prolemque Tonantis
 20 mons tacitam potuit continuisse diu ;
 21 undique nam sese ramis canentis olivae
 22 Palladioque suum cinxit honore caput,
 23 tum patulas ulmos Lenaeo vestit amictu,

24 humidus et liquidis undique fluxit aquis.
 25 Grataque posteritas montem dixere Camenum,
 26 ut nunc, mutata parte, Caminus eat ;
 27 quoque deae latuere, locum dixere Cavellas,
 28 templaque sublimi constituere jugo.
 29 Quare, agite, et sacros Musis referamus honores,
 30 reddamusque piis debita thura focus ;
 31 et tu, Pieridum cultor, quem lenia Phoebus
 32 jussit Dircaeeae plectra movere lyrae,
 33 cinge comam lauro, citharamque intende Camenis,
 34 Galle, Aganippeii gloria magna chori,
 35 Elysioque sui resonent montesque locique,
 36 oppida quem dominum Gallutiana colunt.

AD LEONTEM TOMACELLUM SODALEM

P2_11 v.1 Ecquid in absentem quereris male fortis amicam,
 2 nec linquit curas Anthionea tuas ?
 3 Et deserta gravi resonant num litora planctu,
 4 ipsaque de lacrimis humet arena tuis ?
 5 Ac miser incassum votis tibi Nerea placas,
 6 scilicet ut reduci venerit illa rate ?
 7 An mare, longinquoque absens Trinacria tractu
 8 extinguere tuas igne tepente faces ?
 9 Sed neque tam facili percussit vulnere quemquam
 10 ille, sagittifera qui valet arte, puer,
 11 ut non post multos sanandum liquerit annos,
 12 letalem didicit namque ferire locum.
 13 Nimirum et saevas pascit Trinacria flammam,
 14 nedum sit facibus terra aliena tuis ;
 15 adde quod et Veneri tellus accepta, suisque
 16 testatus quondam sedibus altus Eryx.
 17 An formosa novae successit Delia curae,
 18 atque novo cessit victus amore vetus ?
 19 Spiravitque tuis votis felicior aura,
 20 illuxitque tibi gratior hora, Leon ?
 21 Vicinique favet fontis custodia Tisbe ?
 22 Et soror, et caro mater amica tibi est,
 23 quaeque tuo invidit nuper fortuna sodali,
 24 haec tibi felices porrigit aequa manus.
 25 Namque ego cum facilis dominae tentarer amore,
 26 impleretque meam lenior aura ratem,
 27 invida praeripuit laetae mors gaudia menti,
 28 fregit et in medio quassa carina salo.
 29 Hinc ego blanditias ipsumque Heliconam reliqui,
 30 meque ipsum damno deliciasque meas ;
 31 nec me ni tristes curae subeuntque premuntque,
 32 omnis et a maesto vate recessit amor ;
 33 deque meis quondam nugis lusuque jocosque
 34 nil mihi nunc reliquum est, nil nisi triste queri ;
 35 nec me delectant dulces, velut ante, Camenae ;
 36 illa quidem secum meque measque tulit.
 37 At tu, cui praebet faciles Amathusia natos,
 38 dulcia naturae munera carpe, Leon,
 39 venturamque memor, fato properante, senectam
 40 non ingrata tuo dona refer Genio,

41 sitque omnis sine nube dies. Tum denique dices :
 42 "Vixi, nunc, o mors, nil nocitura veni."

FRIGORE INVITATUR AD VOLUPTATEM

P2_12 v.1 Bruma riget, Caurique fremunt, stat densior aer,
 2 Jupiter et gelidas fundit ab axe nives.
 3 Pocula nunc lususque decent pinguesque lucernae ;
 4 arida vos, pueri, subdite ligna foco.
 5 Igne ferox lenitur hiems, ubi mollia circum
 6 Lesbia et annosum spumat in orbe merum.
 7 Vino pelluntur tristes de pectore curae ;
 8 hic liquor ingrato corda dolore levat,
 9 hic deus afflictis requiem spemque addit egenis :
 10 i, puer, et larga prome Falerna manu.
 11 Me juvat inter vina (fovet nam bacchus amorem)
 12 ebria consertis oscula ferre labris,
 13 molle femur tractasse manu, tractasse papillas,
 14 dulciaque in tenero bella movere sinu.
 15 Tum mihi sit non una satis ; tum si tibi jungar,
 16 Fannia, quas dederim, quas tulerimque vices ;
 17 tum si blanda meis venias retinenda lacertis,
 18 quos tibi dem amplexus, Lautia, quosve dabis,
 19 tene ego si teneam, quales, mea Lautia, motus
 20 expediam, vel quot sim ferus ipse modis ;
 21 molle Pharitaeo spirabit lectus odore,
 22 quem dat Pellaeo condita terra duce ;
 23 lintea sudabunt roseum perfusa liquorem,
 24 myrteolaeque fluet lucidus humor aquae.
 25 Interea miscere, puer, ne desine bacchum
 26 saepius, atque aliis demere vincla cadis.
 27 Senio adest rabidusque canis ; Venus aurea cuja est ?
 28 Arceli, arbitrium te penes omne meri.
 29 Ille novem cyathos Musarum laetus honore
 30 ebibat, hic Charites, tergeminumque chorum ;
 31 ille suae potet dilectae basia nymphae,
 32 et laeto absentis nomen in ore sonet.
 33 Lusibus his nam gaudet hiems, his laeta terenda est
 34 bruma. Venit rapido mors inopina pede.

**MILITIAM HUIUS TEMPORIS DAMNAT, AD NICOLAUM MARIAM BUXUTUM
 EQUITEM NEAPOLITANUM**

P2_13 v.1 Castra sequi laudique injustis quaerere ab armis,
 2 hoc est aeterno bella movere Jovi.
 3 Militiae quondam partes ac jura fuerunt
 4 tutari patriae dulcia tecta suae,
 5 a sociis arcere minas, pepulisse tyrannos,
 6 hostis et incursus continuisse vagos.
 7 Hinc Decii, fortesque Fabi, clarique Metelli,
 8 ac laetum Pauli Scipiadumque decus ;
 9 Cannarum hinc tumuli, caesoque dracone superbus
 10 Regulus, ac duri Cimbrica palma Mari ;
 11 hinc pontem fregisse ferox sua numina Cocles

12 jactat, et exuvias Cossus ab hoste refert ;
 13 atque alius victo redit in Capitolia Gallo,
 14 et spolia antiquo reddit opima Jovi ;
 15 ille triumphatis praescribit jura Britannis,
 16 et Rheni tumidas ponte refringit aquas,
 17 ille etiam rubri penetravit ad aequoris undas,
 18 et victor primus Parthica signa fugat ;
 19 hic Dacas, Cilicemque ferum, Poenumque rebellem
 20 ducit victrices candidus ante rotas.
 21 At nunc quid bello petitur, nisi praeda ? Nec hostem,
 22 sed socium vita est exspoliassse decus.
 23 Hinc Mauri nos classe premunt, hinc Turca fugaci
 24 vectus equo et Scytici castra cruenta ducis ;
 25 nos tamen in socias ferrum convertimus urbes,
 26 et de cognato sanguine praeda juvat.
 27 Quid miles pretio, quid mercenarius ensis
 28 dignum Romana laude fideque dabit ?
 29 Excessisse acie pulchrum est, ubi dextera ferrum
 30 abjicit, atque auro tela repulsa cadunt ;
 31 non jaculis aut ense ferox victoria, verum
 32 infami quaestu bellica palma venit.
 33 Aurum per medios deducit signa maniplos ;
 34 amisit partes Mars ferus ille suas ;
 35 ipsi ductores pretio sua proelia vendunt,
 36 et cedunt pretio castra fidesque ducum.
 37 Hinc mihi Pierides studium, sacrosque colendi
 38 vates, deliciis nomina grata meis,
 39 hinc nobis, Buxute, decus, laudemque paramus ;
 40 pro castris Helicon, pro duce Musa mihi est.
 41 Nec tu non primae juvenis cum flore juventae
 42 arma capis, patria pulsus ab ipse tua,
 43 deseris Italiam, pronoque per aequora cursu
 44 Hesperios portus, litora Ibera petis.
 45 Illic, cum geminos ageret discordia reges,
 46 fovisti partes strenuus ense tuas ;
 47 mox contra flavos direxti tela Britannos,
 48 cum premerent forti Gallica regna manu ;
 49 ocia nunc Musaeque juvant dulcesque recessus,
 50 et scripta antiquis carmina docta viris.
 51 Hoc sapere est, Buxute, frui melioribus annis,
 52 cum libris fieri carminibusque senem.
 53 Castra alios ac bella juvent ; nos laeta colamus
 54 ocia et Aoniae fila canora lyrae.
 55 Vita bonum commune quidem est ; bene vivere solus
 56 novit, qui ingenii dona beata colit.

AD MUSAM, DE CONVERSIONE SEBETHI IN FLUVIUM

P2_14 v.1 O nec docta nimis nec dum satis apta cothurno
 2 Musa, sed ad teneros ingeniosa sales,
 3 digna amarantheis crines intexere sertis,
 4 et madidam Assyrio tingere rore comam,
 5 ac gelidos circum fontes, per gramina laeta
 6 virginibus mistos ducere nata choros,
 7 dum licet, et virides suadet decedere in umbras
 8 Phoebus, et argutum concitat aura nemus,

9 huc placidum ad fontem ripae subeamus opacae,
 10 qua sua Sebethos candidus arva rigat ;
 11 hinc non vulgatos fontis referemus amores,
 12 quos legat in nomen Fannia nata meum.
 13 Amnis, arundinea velans sua tempora mitra,
 14 et dolor et carae Doridos aptus amor,
 15 quis tua tam riguo mutavit membra liquore ?
 16 Nunc amnis, certe candidus ante puer.
 17 Forma tibi nocuit, nocuit placuisse puellae,
 18 iraque caerulei quam male nota dei.
 19 Litore constiteras ; illuc quoque caerula nymphe
 20 currit in amplexus nympa decora tuos.
 21 Alcyones testes, testes vineta Vesevi,
 22 vos pariter socio secubuisse toro.
 23 Lectus erat frondes et opaci gramina campi,
 24 umbra erat antiquis myrtea silva comis ;
 25 silva comas frondosa dabat, quae lenibus auris
 26 spirabat, Zephyro sollicitante, nemus ;
 27 tum volucres laetis concentibus aera miscent,
 28 et raucum illisis murmurat aequor aquis.
 29 Forte inter virides Nereidas una loquaci
 30 ore, sed et Nereo fida ministra, fuit ;
 31 vidit ut haec molli capientes litore somnos,
 32 Nerea non fictis sedula rebus adit.
 33 Ille autem, irato properans ad litora curru,
 34 caerula caeruleis per vada currit equis ;
 35 cujus ob adventum resonant Tritones in antris,
 36 candidaque in scopulis laesa remugit aqua.
 37 Excita nympa latet, te somnus perdit inertem
 38 caerulaque in membris fuscina jacta tuis.
 39 Flerunt Noleae, flerunt te Sarnides undae,
 40 flevit discissis mater Acerra genis,
 41 et Stabias nymphas inconsuetumque Vesevum
 42 tunc etiam lacrimis immaduisse ferunt ;
 43 scilicet is tenerae recalebat furta juventae,
 44 et memor antiqui maestus amoris erat.
 45 Multos hunc perhibent crudeli funere menses
 46 confectum specubus delituisse suis ;
 47 at postquam in rabiem dolor hic se vertit acerbam,
 48 vindex ex antris prosilit ipse cavis,
 49 eructansque vomit fumantis pectoris ignes,
 50 ignibus et latos undique vastat agros ;
 51 jamque insurgebat ponto, tumidumque per aequor
 52 jactat ab incensis saxa liquata jugis,
 53 cum subito ex alto vox reddita : "Numen aquarum
 54 Sebethos fonti est nomen honosque suo."
 55 Nec mora : qua jacuit, vitrei fluxere liquores,
 56 in laticemque abeunt membra soluta novum ;
 57 e puero liquidus fit fons, fit numen et idem
 58 ex homine ; hinc subitis in mare currit aquis.
 59 Talibus ille ferox victus mentemque repressit,
 60 imposuitque suae Bacchica sarta comae,
 61 laetior et campis duxit de monte choreas,
 62 concinuitque novo carmina digna deo.
 63 Haec tibi, quae canerem molli resupinus in umbra,
 64 edidit imparibus nostra Camena modis ;
 65 tempus erit, caros cum dicemus hymenaeos,
 66 ut sit juncta tuo Parthenopea toro ;

67 interea nostri nomen titulusque libelli
68 pro tibi promisso munere pignus erit.